



Sammelband 09

Index locorum in hoc volumine
explicitorum

- nr. 29 Pf. LXXXIV.
4. Math. II. 17. 18.
28 Luc. I. 78.
10 Act. XIII. 32. 33.
20 Gsch. V. 23.
18 Act. I. 34.
11 Act. II. 14. 15.
23 Act. XIII. 2.
26 1 Petr. III. 18.
38 2 Petr. I. 19.
6 Jud. 9.
38 Apoc. XXII. 16.

2620-

CHRISTVS
P A C I F E R

PROGRAMMA
SACRO CHRISTI NATALITIO

A · R · S · C I C I O C C L I X
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P · P ·

HELMSTADII
TYPIS VIDVAE P · D · SCHNORRII
ACAD · TYPOGR



CHRISTVS
P A C I F E R

PROGRAMMA
SACRO CHRISTI NATALITIO

A. W. E. GIESSEL
IN ACADEMIA SVBIA GIESSEN
P. P.

HELMSTADT
TITIVS ALIUS T. DE LINDEN
ACADEMIA



ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE
PRORECTOR
IO. CHRISTIANVS WERNSDORF

ELOQV' ET POES' P' P' O' ET ORDINIS PHILOS

H' T' DECANVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S' P' D

§. I

Neminem fore arbitramur paullo humaniorem, qui his temporibus, cum uexatas late bello gentes fortunarum omnium discrimen adire uideat, maturae pacis reditum non magnopere exoptandum putet. Hoc enim bello, quod tanta uirantisque opibus geritur, innumerabilis hominum multirudo, afflictæ penitus, et in ultimas coniecta miserias, cum maxime experiendo intelligit, quod poeta cecinit:

*Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est.*

In ipsis autem rerum turbis Christiani maximum omnium praesidium, ad requiem animi et malorum solatium, in pace diuina habent, quam CHRISTVS, optimus maximus Pacificator orbis, hominibus conciliauit, et quam in animis fidelium *εὐαγγελίζων* praedicat et commendat Apostolus. a) Neque igitur hoc tempore, quod memoriae nati Seruatoris sacrum est, mentes cogitationesque nostras in ulla re alia, quam in pacis, CHRISTI aduentu allatae, beneficio melius uniusque desigemus. Quod enim Esaias diuino praedixit spiritu, Virginis filium et Immanuelem futurum esse *Principem Pacis*, *) id nato CHRISTO coele-

A 2 stes

a) Colof. III, 15 *) Ef. IX, 6

IV

stes nuntii factum esse confirmant, *gloriam in supremis Deo, et in terra pacem, et inter homines benevolentiam*, laeto carmine denuntiantes. Idem uberius declarant multis sacrarum literarum locis diuini CHRISTI legati, et maximum omnium beneficium ab eo partum esse, docent, pacem inter Deum et homines conciliatam. 'Αυτος εστι η ειρηνη ημων, inquit PAVLLVS, b) αποκτηνας την εχθραν εν αυτω. Et alio loco: c) 'Ειρηνοποιησε δια τα αιματος τα σαρκα αυτα, δι αυτα, ειτε τα επι της γης, ειτε τα εν τοις ουρανοις. Et iterum: d) Δικαιωθεντες ουν εκ πιστεως, ειρηνην εχομεν προς τον Θεον δια τα Κυριου ημων 'Ιησου Χριστου

§. II

Venerabile nomen Pacis est, sanctissimeque habitum apud omnes gentes. Huius enim possessione, uiderunt, cetera uitae bona, et omnis generis felicitatem, euenire et conferuari mortalibus, nec ipsam uitam sine ea uitalem esse posse. Quo maxime respicit elogium, quod ei tribuit PHILEMON in Pyrrho, e) et rustica Pacis descriptio apud TIBVLLVM. f) ARISTOPHANIS etiam comoedia, Pax inscripta, copiosis Pacis laudibus referta est, ubi inter alia πολυτιμητη et ποτνια uocatur. Hinc pacis uocabulum apud gentiles haud raro omne genus prosperitatis, incolumitatem, laetitiam, et rerum copiam designat, aequae ac Hebraeorum שלום. g) Perspecta Pacis utilitas et excellentia, ut aliarum rerum multarum, effecit, ut Dea crederetur, pingereturque cum cornu copiae, cum olea, papauere et spicis. h) Vnde apud uarias gentes templa et aras habuit, sacrificiisque et supplicationibus culta est. i)

Fin-

b) *Ephes. II, 14, 16*c) *Colof. 1. 20*d) *Rom. V, 1.*e) *In reliquijs Philem. a IO' ELEGICO editis, p. 324*f) *Lib. I, Eleg. 10, 45*g) *Vid. IO' HENR' A SEELEN, ecloga archaeolog. de Dea Pace, §. V et VI. Tom. I' Miscellan. p. 303*h) *EZ' SPANHEMIVS Obseru. in Callim. p. 748. GVIL. DV*

V
Fingitur autem a poetis ipsius Iouis filia, et Horis annu-
meratur, Eunomiae et Iustitiae soror, quod cum aequira-
te et iustitia arctissime coniuncta est, nec sine iis constare
potest. k)

§. III

Multum Romani eximiae perpetuaeque Pacis posses-
sionem iactarunt ab eo tempore, quo Caesar Augustus,
ut grauius cenfer TACITVS, l) *cuncta discordiis ciuilibus
fessa, nomine Principis, sub imperium accepit*. Inde frequen-
ter PAX AVGVSTA, PAX AETERNA, PERPETVA, PAX
ORBIS TERRARVM, in numis Augusti, Tiberii, Nero-
nis, Vespasiani, aliorum, extat consignata. m) Videntur
autem ista a Principibus Romanis saepe ambitiosius, quam
uerius, esse prodita, cum etiam, qui turbulentissimis im-
perarunt temporibus, Caesares Pacem celebrare in numis
et promittere non dubitarint, ut ex Galbae, Othonis,
Gallieni, Postumi, Tetrici numis, tali inscriptione infi-
gnitis, uidere licet. Sed putabant nimirum pertinere ad
principatus sui maiestatem, pacem imperio suo per pluri-
mas gentes reductam et stabilitam existimari. Nihil enim
augustus et diuinius pace firma et perpetua, quam pro-
pterea poetae finxerunt aureo saeculo in terris fuisse, cum
Dii ipsi regnarent, eandemque poetica exaggerandi liber-
tate subinde imperio Principum, quos impensius lauda-
re uolunt, ad extollendam eorum magnitudinem, tri-
buunt. Verius multo sacrarum literarum effata quiet-
tissimam orbis terrarum pacem, concordiamque omnium

A 3

homi-

CHOVL de relig. ueter. Ro-
man. p. 8, 9, et 12. TIBVI-
LVS, l, 10, 67

i) SEELENII diff. cit. §. 8, 9, 10

k) PHVRNVTVS de nat. Deor.
in Opusc. mythol. GALEI. p.

213

l) Annal. 1, 1, 2

m) DV CHOVL, l. c. p. 9, 10,
BEGERVVS Thef. Brand. Tom.
II, p. 608, 609, 627, 632.

VI

hominum, sub regno Messiae futuram esse praedicant, n) atque his similia in Sibyllinis oraculis quondam lecta esse, etiam nunc e quarta VIRGILII ecloga intelligitur. Messias enim cum sit Deus in terris conspicuus, uerissime eius regno pax tribuitur uniuersalis, ad demonstrandam eius diuinitatem, quod illa sine ipsius diuini Numinis ui et maiestate per tot discordes animis moribusque populos non potest effici et conseruari. Parum itaque fuerit Caesarem Augustum cunctas orbis Romani partes, *ciuilibus discordiis fessas, Principis nomine sub imperium accepisse*: augustiora multo et ueriora sunt, quae PAVLYS de CHRISTO praedicat: Δι' αὐτῆ ἀποκαταλλάξει (Θεοῦ) τὰ πάντα εἰς εὐτα, - εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. o)

§. IV

* Nec maiore iure Romani Deos suos *Paciferos*, et *Pacatores* celebrant. Legimus in numo Clodii Albini, et in marmore antiquo, MINERVAM PACIFERAM, p) MARTEM PACIFERVM in Aemiliani, Quintilli, et Taciti numis, q) in Probi et Maximiani HERCVLEM PACIFERVM. r) Quibus tamen eloquiis, intelligimus, eos tantum Deos pacis auctores praedicari, qui bellorum praesides habebantur, neque adeo aliam ab iis pacem expectari, quam quae armis et bello quaeratur. Quae quam incerta saepe numero et instabili fide sit, quantis subito exasperari odijs populorum, quantis turbati moribus bellorum soleat, tot infausta antiquae recentiorisque memoriae exempla docent. Nos CHRISTVM, Restitutorem et Conseruatorem humani generis, optimo iure habemus et appellamus PACIFERVM, quod pax ab eo conciliata uere AVGVSTA ET AETERNA est, eaque re TERTVLLIANVM sequimur auctorem, qui uaticinijs ueterum prophetarum de concordia et pace natio-

n) Ps LXXII, 7. Isf. XI, 6. Lach. III, 10

o) Coloss. I. 20

p) BEGERVS. contin. Thes. Brand.

p. 637. SPANHEM ad Callim. p. 600

q) BEGERVS l. c. p. 738. 757. 765.

VALLANT Num. Caes. Tom.

II, p. 85

r) BEGERVS l. c. p. 767. 780

VII
num, regnante CHRISTO futura, hunc, testatur, non Bel-
lipotentem, sed *Paciferum*, repromissum. s)

§. V

Quamquam autem pax a CHRISTO promerita toto
genere a pace mundi distat, quod ipse pronuntiat: τ) Τίθη-
μην τὴν εἰρήνην διδομι ὑμῖν, ὃν καθ' ὅσους ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι
ὑμῖν; ea tamen differentia nihil impedit, quo minus CHRIS-
STO celebratum ueteribus elogium PACIFERI tribuamus.
Nam uocabulum *pacis* a Romanis iis fere rebus significan-
dis adhibetur, ut ad pacem diuinam, a CHRISTO restitu-
tam, commode applicari possit, quod paucis iam osten-
dere constitutum est. Itaque de reconciliatione paterna
cum filio usurpatur a TERENCE: u) *Facillime patris pa-
cem in leges conficet suas*, h. e. benevolentiam patris ad
arbitrium suum obtinebit. Deinde transfertur ad propiti-
ationem, ueniam, benevolentiamque Deorum significan-
dam, qua salus et incolumitas hominum impetratur,
sollemnibus maxime formulis, quibus *pacem Deum preca-
ri, exposcere, exquirere* dicunt. Quem ritum collectis ue-
terum scriptorum, praesertim LIVII, testimoniis appro-
bavit BARN. BRISSONIVS, x) diligentiusque excussit IA-
NVS VLTIIVS. y) Sic PLAVTVS: a) *Iouis supremi multis
hostiis pacem expetam*, LIVIVS: b) *Pacis Deum exposcere-
dae causa lectisternium fuit*, LVERETIVS: c) *Non Diuum
pacem uotis adit*, VIRGILIIVS: d) *Pacemque per aras ex-
quirunt*. Et centum alia alibi. SERVIIVS obseruat, e)
pacem et ueniam idem significare, et esse proprie uerbum
pontificale, adeoque, in sacrificiis et precibus, quae Diis
placandis fiebant, sollempniter adhiberi, innuit. Hinc pa-

s) *Adv. Marc. III, 21*

t) *Iob. XIV, 27*

u) *Heantont. Act. V, 2, 45*

x) *De form. et sollem. pop. Rom.
uerbis, p. 81*

y) *Comment. ad Gratii Cyneg. u.*

482, p. m. 291

a) *Amphib. Act. V, 1, 75*

b) *Lib. VII, 2*

c) *Lib. V, 1228*

d) *Aen. lib. IV, 56*

e) *Ad Virg. Aen. I, 523*

VIII

care et pacificare Deos dicunt pro placare et propitiare.
Sic CATVLLVS: f) - - Nondum cum sanguine sacro

Hostia coelestes pacificasset heros.

Et ipsa sacra, quae fiunt ad Deorum gratiam impetrandam uel retinendam, OVIDIO dicuntur *pacales flammae*. g) Fiebant autem ea sacra non solum ad gratiam retinendam, sed et iram auertendam Deorum, prodigiis mala fara denuntiantibus. Hinc enim quosdam Deos puto dictos esse *Paciferos*, ut BROVCKHVSIVS de Apolline, et SPANHEMIVS de Mercurio, obseruauit, h) quod eos depulsores malorum, auerruncos et ἀποτρεικτους faciebant. Talem sistere uideretur PLAVTVS Apollinem: i)

*Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius,
Salutem et sanitatem nostrae familiae,
Meoque ut parcas gnato pace propitius.*

Et TIBVLLVS: k) - - Sed tu iam mitis Apollo

Prodigia indomitis merge sub aequoribus.

Plane ut sacrae literae Deum propitiatum dicunt peccata hominum profundo mergere mari. l) Et dignum animaduersione est, quod etiam VILTVS l. c. obseruauit, horum sacrorum ritus et nomina gentiles ex ueri Numiaii cultu et diuinae legis caerimonijs mutuatos esse. Nam quemadmodum in sacro codice sacra pacifica, quae pro salute fiunt, dicuntur שְׁרַמִּים, a שָׂרַם *compleri, perfici*, eaque ὁ LXX commode reddunt σωτηρία, quod salutem conciliant offerentibus; m) ita gentiles sacrificia eiusmodi et mysteria τελεταις, et preces τελεσφορας εὐχαις appellant. *) Et quemadmodum Hebraeorum שְׁלוֹמִים non pacem solum, sed etiam salutem et felicitatem notat, ita *pax* Romanis saepe est incolumitas, et salus per sacra pacifica a Diis impetrata.

Eo

f) Carm. LXIX, 74. *Alia exempla uide apud TIBVL. IV, 1, 14, et SIL. ITAL. lib. XV, 424*

g) *Faß. I, 719*

h) BROVCKH' *ad Tibul. II, 5, 79.*
SPANHEM' *ad Callim. p. 232*

i) *Merc. at. IV, 1, 12*

k) *l. c.*

l) *Micb. VII, 19*

m) *Ezech. XLVI, 2*

*) SPANHEM' *ad Callim. p. 647*

Eo plane sensu pacem dixit PLAVTVS loco allegato, te GRATIVS in hoc uersu: *Vicit tutela pax impetrata Deorum*, ubi VLITIVS interpretatur: n) pax, i. e. salus, quae tutela Deorum impetrata est. Denique pax etiam de tranquillitate animi usurpatur, ut, quando CICERO dicit, o) *temperantiam expetendam esse, quia pacem animis afferat, et eos quasi concordia quadam placet ac leniat*

§. VI

Huiusmodi pacis significationes, sed multo eminentioris augustiorisque generis, intelligimus, ubi CHRISTVM *Paciferum* appellamus. Pacem enim attulit humano generi tam augustam, tam sublimem et perpetuam, ut omnem humanae mentis uim superet, p) et nulla re aduersa interuerti aut infringi possit. Qua Deus, infensus ante hominum criminibus, et pacifico CHRISTI sacrificio propitiatus, genus humanum recepit in gratiam, omnibusque, fidei uinculo CHRISTO coniunctis, non solum ueniam et abolitionem peccatorum offert, sed etiam gratiae suae opulentiam, beatamque salutem, cum in hac, tum in altera aeternaque uita perpetuo fruendam, indulget. Haec pax quo superior est rebus mundanis et hominum studiis, hoc firmiter constantiorque est, et omnis uerae solidaeque pacis, quae in terris obtineri possit, quasi fundamentum continet. Nam ex pace cum Deo oritur pax et tranquillitas animi, pax item et concordia cum aliis hominibus colenda. Pacis cum Deo fundamentum est iustitia per CHRISTI satisfactionem restituta, quam oblatam si fide amplectamur, fit, ut ueniam adipiscamur admissorum, gratiaeque Dei, ut Patris benignissimi, perfruamur. *Iustificati*, inquit PAVLVS, q) *pacem habemus apud Deum*

n) *Ad Gratii Cyneq. p. m. 243*o) *De fin. lib. I, 24. Sic etiam usurpauit LVCRETIVS, III,*

24, et aliis locis.

p) *Philip. IV, 7,*q) *Rom. V, 1,*

per *Dominum nostrum Iesum Christum*. Cuius rei aliquid uidisse uidentur gentiles, cum Iustitiam et Pacem sorores, et Iouis filias, finxerunt, et ingrauescentibus hominum sceleribus Iustitiam, siue Astraeam, profligatam excessisse terris, bella et dissidia inter homines exorta. Ut CATVLLVS prodit: *)

*Omnia fanda, nefanda, malo permissa favore
Iustificam nobis mentem auertere Deorum.*

Quod autem, Iustitiam in orbe tetrarum a Messia olim restituendam sacris libris prodi, r) forte audiuerant, hinc oracula Sibyllina, rediturum cum Astraea aureum saeculum, pace et tranquillitate hominum insigne, promiserunt, quod ex VIRGILII ecloga quarta intelligitur:

Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.

Sed gentiles uerae iustitiae, pacisque cum Deo per CHRISTVM impetrandae, rationem ignorantes, ignorarunt etiam ueram pacem et tranquillitatem mentis, inde oriundam. Quemadmodum enim impii diuina sententia omnis pacis expertes pronuntiantur, s) ita, qui cum Deo per CHRISTVM reconciliati sunt, eam hoc coniunctionis diuinae sensu, summique boni perfruitione, fiduciam et tranquillitatem animi concipiunt, ut sublato omni terrore, uix ulla re commoueantur, et in Dei, Patris benignissimi, clementia acquiescant unice. Negant scilicet faecrae literae, esse quicquam in amicis CHRISTI, quod damnetur, negant electis Dei ab accusatione et condemnatione metuendum esse, quia CHRISTVS praesto sit mortuus, imo, quod maius sit, resuscitatus. r) Ex ista fiducia animus ope Spiritus Sancti magis magisque confirmatur, ut moderari affectibus, uincere perturbationes animi, eohibere uim oborientium cupiditatum possit, et abdicatus a rerum humanarum curis, coelestibusque intentus,

iii

*) *De nupt. Pelei, in fine*

r) *Pf. LXXII, 7. LXXXIV. u*

s) *Ies. LVII, 21*

t) *Rom. VIII, 1, 33, 34*

in suo ueluti gradu quietus consistit. Ex eodem denique fonte nascitur pax et concordia cum aliis penes nos hominibus. Nam qui, uacuitatem perturbationum et serenitatem mentis nacti, diuina tantum et coelestia cogitant, nec cupiditatibus rerum terrestrium abripiuntur, facile pacem colunt cum aliis, nec litibus implicantur, quae, ipso teste Spiritu S. non aliunde, nisi ex effrenatis hominum cupiditatibus, trahunt originem. u)

§. VII

Tam uerae solidaeque pacis non solum pararius et effector morte et resurrectione sua, sed etiam nuntius et praeco extitit CHRISTVS, Dominus noster. Nam quemadmodum constituisse pacem per sanguinem crucis suae dicitur, x) ita resurrectione uictoriosa prostruit et profligauit, quicquid eandem conuellere aut turbare potuisset. Ut ramen innotesceret orbi, et reciperetur ab hominibus pax ista, effecit doctrina sua et munere prophético, imo toto officii mediatorii decursu, omnibusque eius actibus, *Liberatorem Paciferum* se praestitit. Doctrina autem commendare et inculcare pacem quis magis possit, quam qui beatos εἰρηνοποιούς, et Dei filios uocandos esse, pronuntiat, qui discipulos suos iubet amare inimicos, et bene precari iis, qui imprecantur, y) qui praeceptum de caritate aliorum tam tradit diligenter, ut fundamenti loco substernat aliis, explicet accurate, illustret exemplis, et inculcet praecipue: z) qui denique ad tollendam inimicitiarum materiam regnum et iustitiam Dei, posthabitis rebus omnibus, quaerendam esse monet, a) et ignoscendi condonandique necessitatem in primis demonstrat. b) Efficacitas mansuetioris CHRISTI doctrinae affatim apparuit cum in

B 2

pri-

u) *Iac. IV, 1*

x) *Coloss. I, 20*

y) *Matth. V, 9, 44*

z) *Iob. XIII, 34 Matth. XXII,*

39. Luc. X, 29. Matth. XI, 29

a) *Matth. VI, 33*

b) *Matth. VI, 12. XVIII, 35*

XII

primitivae ecclesiae caritate incredibili, tum in aliarum gentium, postea ad CHRISTVM adductarum, ferociorum etiam, moribus plane in melius conuersis. De humanitate et concordia, quam primi Christiani inter se coluerunt, summa non solum sacrae testantur literae, c) sed etiam exteri profanisque scriptores, in primis PLINIVS. d) Gentes barbarae, feritate naturae asperitateque morum immanes, doctrina Christi pacifica mansuefactae, deposuerunt ferociam, et sanguinariam crudelitatem exuerunt, quod PRVDENTIVS inter alia luculenter descripsit: e)

*Mansuevere Getae, feritasque cruenta Geloni
Lacte mero sitiens exsanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.*

Ipsa bellorum asperitas quodammodo mitigari coepit, ratioque admissa apud gentes, qua inter arma etiam humanitati honos haberetur. Romanorum mansuetudo etiam apud alias gentes, perinde ac virtus bellica, celebrata est, admisit tamen in gladiatoriiis spectaculis, iure necis in mancipia concesso, aliisque sanguinariis institutis, hominis, etiam dicis causa, occidendi uoluptatem, diuque sustinuit terribissimos Principes, qui non alia, quam libidinis explendae, causa sanguinem funderent, et lenti supplicii diritate pascerent oculos, adeo, ut qui aequitate et clementia praecessent imperio, Titi, Traiani, Antonini, pietatis et grati animi causa inter Deos referrentur. Contra in rebus publicis, quae leges CHRISTI receperunt, sublata est cruenta saecuitia, rarus est seditionum et rebellionum furor, cessat latrociniolorum metus, nulla est scelerum impunitas, et quae contra securitatem publicam committuntur, aduersa sunt Christianae disciplinae, et seuera animaduersione coercentur. Ipsa imperia Principum, quae apud exteras barbarasque gentes non nisi ui et saecuitia peraguntur, apud Christianos mansuetudine et bonitate tem-

c) *Act.* II, 44, *seqq.* IV, 32

d) *Epist.* X, 97, 7

e) *Apoth.* u. 439

temperata sunt, et salutem securitatemque hominum unice spectant, nec difficile est, quos Romani olim, quasi rari exempli Principes, colebant, Titos Traianosque hodie quam plurimos reperire

§. VIII

Paci, quam doctrina Christi societati humanae attulit, alia accessit, late per orbem diffusa, quae gentes discordes linguis, dispares cultu et moribus, unius religionis et fidei uinculo consociauit, atque ex plurimis terrarum orbis nationibus unum ueluti populum effecit. Quod olim gentes degebant in terris, tot religiones et sacra, tot ritus et mores et instituta obtinebant, diuersaeque adeo uiae colendae placandaeque diuinitatis. Vnde nulla inter eos concordiae societas. Quantum autem gentes profanae inter se, tantum Iudaei a reliquis distabant legis et caerimoniarum uarietate. Hanc discordiam sustulit Deus, unum constituens IESVM CHRISTVM per quem omnes salui fierent, eiusque religione et fide omnibus proposita terrarum gentibus, effecit, ut perpetuo caritatis uinculo et mutua officiorum communicatione unitae deuinctaeque sibi essent. Diserte Apostolus docet, f) uenisse CHRISTVM nuntiatum pacem, cum Iudaeis, qui prope aderant, tum ceteris gentibus longe positis, ut per eum aditum haberent utrique in uno spiritu ad Patrem, ipsique fierent unus nouus homo, ubi non est, ut alibi dicit, g) Graecus aut Iudaeus, barbarus et Scytha, sed in omnibus Christus. Eius generis pacem, qua duo pluresue populi in unum coalescunt, Romani ueteres uidentur *Pandam* dixisse. Quod quidem nomen alii Cereris fuisse putant, quia panem det, alii rectius Pacem interpretantur. Nam a Varrone apud GELLIUM h) diserte distinguitur a Cerere,

B 3

f) *Ephef. II, 17.*
g) *Coloss. III, 11*

h) *Nest. An. XIII, 21*

et glossae Philoxeni: *Panda*, *ειρηνης θεος*, Rationem appellationis quidam inde reperunt, quod ope pacis non solum pandantur urbium portae, liberque introitus exitusque aperiatur, sed etiam aperiatur uia ad omne felicitatis genus. Sed accuratior explicatio uocabuli e testimonio ARNOBII i) peti potest, qui Pandam dictam putat, quod Tito Tatius, *Capitolinum ut caperet collem, uiam pandere atque aperire permissum esset*. Quae quidem sententia rationem appellationis non plane explicat, quod, si uiam aperuerit Tatius ad Capitolium capiendum, inde nondum liquet, cur Dea pacis sit habita; sed tamen occasionem, qua Panda Dea fingi et coli coeperit, luculenter indicat. Scilicet ita dicta uiderur in memoriam pacis et foederis inter Romanos Sabinosque perculsi, quo receptis cum Tatius Sabinis in communionem regni, *ciuitatam unam ex duabus fecerunt, regnum consociarunt, imperium omne contulerunt Romam*, ut loquitur LIVIUS. k) *Pandere* enim proprie notare uidetur, *remoto impedimento aperire, explicare, dilatare*. Vnde *pandere uela, passos capillos* dicunt, iunculis et nodis solutis. Coeuntibus in foedus duabus gentibus tolluntur limites, qui utriusque regnum coercebant, et unum determinabant ab altero, liber utrinque sit transitus, e duobus imperiis unum fit, et alterum alterius accessione dilatur. Pandam igitur dixerunt pacem Romani, quando duo populi, sublaris ueteribus inimicitias, in unum foedus et regnum coeunt. Cuiusmodi pacem inter plurimas gentes a CHRISTO sancitam, diuinae literae docent. Aperte enim Apostolus: *1) Is est pax nostra, qui ex ambobus unum fecit, septique interstitium abrupit, et inimicitias, legem praeceptorum, in sua carne aboleuit*, cet. Huic autem paci constituendae, recipiendisque sub suaue CHRISTI imperium gentibus, praelusit quasi et uiam praemuniuit, iudice PRUDENTIO, m) pax

i) Lib. IV. p. m. 128

k) Lib. I, cap. 13

l) Ephes. II. 14, 15.

m) In Symmach. II. u. 585. seqq
et Perist. hymn. IV, 421. seqq.

ea, quae uictoriis populi Romani, et multis regnis uno coniunctis imperio, in orbe terrarum constituta est:

Hoc actum est tantis successibus atque triumphis Romani imperii: Christo iam tunc ueniendi, Crede, parata uia est, quam dudum publica nostras Pacis amicitia fruxit, moderamine Romae. n)

Nimirum discordibus antea populis, quos multitudo imperantium et diuersitas legum in mutua concitauerat bella, sub easdem leges sub idemque imperium uocatis, et ferocioribus etiam gentibus mansuetudine Romana placatis, aperta sunt commercia per orbem terrarum, et faciliores ubique aditus habuit doctrina CHRISTI, ut diulgare sensum pacis et mansuetudinis, diuersasque adeo gentes uno religionis uinculo copulare posset. o)

§. IX

Ciuilem etiam pacem et tranquillitatem orbi terrarum ipso aduentu suo attulisse CHRISTVM *Paciferum*, et bella eo tempore, quo nasceretur, omnia quiescuisse, ueteres recentioresque auctores haud pauci existimant. Id certum est, imperium Caesaris Augusti, quo natus est CHRISTVS, ab antiquis scriptoribus ut felicissimum, et pace terra marique parta, otio gentibus reddito, optimisque legibus constitutis, insigne celebrari. VIRGILIUS haec, Augusto gratificaturus, Iouem inducit uaticinantem. p)

Aspera tum positis mitescent saecula bellis, ceterum ULLEIUS finita bella ciuilia, sepulta externa, reuocata pacem, sopitum ubique armorum furorem, leges emendatas utiliter, latus salubriter, praedicat. q) Documentum pacatissimi Augusti imperii Ianus ab eo ter clausus, quod ante eius memoriam ab urbe condita semel tantum iterumque

n) *l. c. u. 618*

o) Plura hanc in sententiam testimonia doctorum ecclesiae recitauit IO' CONR' DIETTER-

cvs in histor. Augusti, §. 13.

p. 130. seqq.

p) *Aen. I, u. 295*

q) *Lib. II, cap. 89*

XVI

que factum erat. r) Documentum etiam ara Paci, regnante Augusto, primum Romae dedicata, cum antea nec signum nec templum habuisset. Hoc declarant adhuc Augusti numi, in quibus arae figura conspicitur cum epigrapha: PACÆ PERP. s) Dedicasse autem uideretur Augustus, Antonio apud Actium pugna navali uicto, finitissimeque bellis ciuilibus, motus fortasse exemplo Atheniensium, qui, uictis navali proelio Lacedaemoniis, imperii maritimi principatum adepti, aram Paci publice fecerunt, teste NEPOTE. t) Certe OVIDIVS u) aram Pacis memorans, hanc describit lauro Actiaca redimitam:

*Frondebz Actiacis comtos redimita capillos
Pax, ades, et toto mitis in orbe mane.*

Tæcço alia monumenta aeris et marmoris antiqui, quibus pax orbi terrarum per Augustum parata celebratur. Sed rem sine dubio nimium augent, et certa auctoritate destituuntur, qui OROSIVM secuti, eo ipso anno quo natus sit CHRISTVS, aut paullo ante, Augustum existimant, ab oriente in occidentem, a septentrione in meridiem, ac per totum Oceani circumulum, cumctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertio clausisse, nec ullos tum temporis exitisse bellorum motus. x) Alii enim uiridocsti obseruant, anno salutaris ortus cruentissimum bellum in Germania gestum Druso et Tiberio ducibus, aliisque rationibus haud spernendis uruntur, quibus uulgaris sententia conuellatur. y) Neque magis audiendi, qui templum Pacis Romae exstructum ea nocte, qua in lucem editus Seruato-

r) SVET. Aug. 22. LIVIUS, I, 19

s) GOLTZIUS in Aug. p. 57. n. 12. DV CHOVL de relig. Rom. p. 10

t) In uita Timothei c. 2

u) Faistor. I, 709 seq

x) OROSIVS lib. VI, c. 22. DIETERICVS l. c. p. 129. HVE-

TIVS, Dem Euang. Prop. IX, c. 3, §. 3. CASAVBONVS ad Surt. l. c.

y) HENR. NORISIVS Cenotaph. Pis. diff. II, c. 10. IO. MASONVS in Iani templo Christo nascente referato. Roterod. 1702

uator est, funditus corruisse memorant, quo ostendetur, pacem a CHRISTO allatam omni pace terrestri superiorem esse. Hoc commentum dudum confutauit BARONIVS, z) et certo constat, templum Pacis, Augusti tempore, Romae extitisse nullum, et quod a Vespasiano demum, post capta Hierosolyrna et Iudaeos deuictos, splendidissime factum est, a) imperante Commodo deflagrasse. b) Ceterum illud ad nobilitandum CHRISTI *Paciferi* natalem sufficit, incidisse eum in tempora, quae multo pacatiora fuerunt prioribus, et quibus ciuilia maxime bella, per omnes fere orbis Romani prouincias multo furore agitata, conquisuerant, externa autem nec saeua adeo, nec frequentia fuerunt, et plerumque ad tuendam imperii securitatem suscepta: contigisse praeterea iam stabilita monarchia Augusti, qui potestate auctoritateque omni in se translata, iure ubique sancito, latis optimis legibus, constitutis bonis moribus, refrenata licentia, turbatam antea et discerptam rem publicam ordinare et in melius componere coeperat. Quae quoniam non fortuito, sed Deo ita providente, euenerunt, digna etiam natali Principis pacis huiusmodi tempora sunt, quocum orituram iustitiam et abundantiam pacis diuina oracula praedixerunt, c) nullum sane dubium est, tali tempore CHRISTVM uoluisse nasci, eumque adeo *Paciferum* orbis terrarum extitisse

§. X

Neque illud temere negandum est, doctrinam CHRISTI per orbem terrarum disseminatam paci et quieti populorum multum commodasse, bellorumque coercuisse frequentiam, et, si qua inciderint temeraria, migratam

ca

z) *Annales eccles. Tom I, an. 1*a) *PLINIUS hist. nat. XXXVI,*15. *SVETON' Vespas. 9*b) *Vid. I. H. A. SEELEN diff. cit. §. 8*c) *Pf. LXXII, 7.*

C

XVIII

ea re disciplinam CHRISTI, quae materiam bellorum et discordiarum multo maximam praecidere censenda est. Huic tamen rei, sunt, qui post receptam in orbe terrarum doctrinam Euangelii facta opinionum dissidia et haereses, indeque exortas contentiones et turbas, saepe cruentas et exitiales, obiciant, uexationes item religionis causa concitatas, et immania supplicia de Christianis sumta, quorum respectu ipsum Sanctissimum Seruatorem dicunt pronuntiasse, non se uenisse conciliatum pacem, sed bellum. d) Quae autem aduersa rei Christianae acciderunt, cum pace a CHRISTO parta minime pugnant, quod multa possunt certa ratione et consilio suscipi, quae tamen aliter et contra sententiam cadunt. Condendae nuntiandaeque pacis aeternae causa uenit CHRISTVS, idem tamen praecidit et praedixit, hostes sui nominis occasionem arrepturos calumniandae doctrinae suae, uexandae ecclesiae, et sanguinis innocentium fundendi, quae ipse fieri minime uoluerat. Praeterea pax a CHRISTO parta et promissa spiritualis est, qua animus in benignitate Dei, aeternum eo fruiturus, per fidem acquiescit. Quae tantum abest ut externa afflictione et calamitate turbari possit, ut confirmetur magis, diuino testante Spiritu, spem Deo confisam et patientiam malorum uerae fidei fructus esse. e)


§. XI

Hanc igitur pacem diuinam, qua summum animi bonum et omnis uitae solatium contrahitur, operam demus, ut adipiscamur et teneamus incorruptam: hac nos aduersus acerbiores fortunae casus, et omnia, quae inciderint, incommoda muniamus: hanc denique, renouata hoc tempore nascentis CHRISTI memoria, instaurare denuo et corroborare annitatur, CHRISTVM, aeternae

d) *Matth. X, 34*e) *Gal. V, 22. Ias. I, 3. i Petr. II, 22*

iernae pacis patratores et nuntios, casto excipiamus ani-
 mo, et sincera fide amplectamur, ut per eum Deo recon-
 ciliati, et gratiae divinae conscientia laeti, eam assequa-
 mur tranquillitatem animi, quae nullis nec terroribus nec
 infortunii molestiis succumbat, placabilis aliis et benigna
 sit, et in spe aeternae pacis et salutis requiescat. Sed
 precemur etiam *Paciferum* Dei filium, ut, quo nascente
 olim pax orbi terrarum annuntiata est, idem nunc, ar-
 mis late per Europam grassantibus, laetos pacis nuntios
 mature exaudiri iubeat, exasperatos belligerantium ani-
 mos placet, et rebus ubique in melius compositis, se-
 curitatem et salutem publicam fessis bellica calamitate
 generibus redonet. Qua religione uotorum suscepta a
 uobis, Ciues, cultum Seruatori orbis et pacis Principi
 debitum praestabitis, et sacra eius natalitia pie sancteque
 peragetis. P. P. in Academia Iulia Carolina

d. XXIV Dec. A. MDCCCXIX



terras pacis pariter et iustitiam, esse exigimus an-
 nos, et pacis sine ampliatum, ut per eum Deo recon-
 ciliari, et regis diuinae consuetudine facti, tam rursus
 recuperandam animam, donec nullis nec terroribus nec
 insidiarum molibus inuadatur, placatis illis et benignis
 hic, ut in ipse seruasse pacis et saluis reuocet, sed
 procedant eam, paxque Dei filium, ut quo uolente
 omnia pacis, etiam gratissimum, hanc pacis mentes
 mansueti, nihil, etiam bellis, etiam ani-
 mositate, et rebus aliis in rebus componere, to-
 tiamque et integram eandem illis bellis calamine
 quibus resonat. Quis religio horum iustitiam
 nobis, quae, eandem, etiam et pacis, etiam
 bellis, etiam, et factis eius nullis, etiam
 pariter, etiam, in Achemis iustis, etiam
 d. xiv. Dec. A. circiter




153883

X 2286633

R





2620-

CHRISTVS
P A C I F E R

PROGRAMMA
SACRO CHRISTI NATALITIO

A · R · S · C I D I D C C L I X
I N A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A
P · P

HELMSTADII
TYPIS VIDVAE P · D · SCHNORRII
ACAD · TYPOGR

